

luntas ordinata, orta ex amore ordinato sui, qui referibilis est in Deum. Hic timor poenae et amor sui ordinatus efficax esse potest ad inducendam voluntatem ad refugiendum ab eo, quod causa esset mali sibi; quod enim universim dicitur de voluntate consequendi alicuius finis aut vitandi alicuius mali, quod possit efficaciter determinare voluntatem ad usum mediōrum, id de hoc timore et horrore dicendum est. At timor et amor ordinatus, qui est referibilis in Deum, non excludit positive amorem Dei, cum quo e contrario coniungi potest; non ergo ex se includit aut est necessario coniunctus cum odio legis aut legislatoris, vel cum affectu ad offensam Dei. Ergo potest esse attritio ex timore gehennae secreta a quovis motu malo voluntatis.

XIII. Haec est doctrina Augustini in Psalm. CXXXVII. n. 8. « Ille timor nondum castus praesentiam (Dei iudicantis) et poenas timet: timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi (innuitur heic amor Dei boni nobis, quem distinguimus ab amore simplici beatitudinis), sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est et iste timor, utilis est ». De Gratia et lib. arb. c. 18: « Cavere debemus ne nos arbitremur non accepisse Spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est Dei Bonum, de quo dicit Propheta Isaias: Requiescet super eum Spiritus timoris Domini, non quo timore Petrus Christum negavit, sed illius timoris Spiritum accepimus, de quo dicit ipse Christus: Eum timete, qui habet potestatem et animam et corpus perdere in gehennam: ita dico vobis: hunc timete ».

Id tandem definitum est proscriptis his propositionibus ab Alexandro VIII. Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis. — Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum mere ut caelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

Ex Augustino quidem plura congeruntur testimonia (Iansenius De Gratia Christi L. V. cc. 28. 32.) ad demonstrandum quod timor servilis, de quo agimus, cohibet tantum ab opere externo, adiunctumque semper habet actum interiorem malum voluntatis. Verum argumenta haec commodius solvemus post sequentem Thesim.

THESIS XXVIII.

*Attritio ex timore gehennae concepta talis esse potest, ut voluntatem peccandi positive excludat.*

I. Ait Suarez D. XX. Sect. 2. « Concilium Trid. expresse requirit attritionem, quae voluntatem peccandi excludat, non *negative* tantum per solam cessationem a tali voluntate; hoc enim modo quaelibet cogitatio alterius rei voluntatem peccandi excludit, sed *positive* per formalem aut virtualem repugnantiam veramque mutationem voluntatis dissentientis peccato et consentientis gratiae Dei. Haec autem dispositio non habetur sine efficaci detestatione et absoluto proposito non peccandi ». Idem repetit Sect. 4. « Concilium dicit talem esse necessarium dolorem, *qui voluntatem peccandi excludat* id est *cum quo voluntas peccandi simul esse repugnet*: alioqui quamvis contingeret hominem habere dolorem et non habere actualem voluntatem peccandi, si tam dolor talis non est, ut ex se non repugnet simul esse cum tali voluntate, re vera non est dolor, qui excludit illam voluntatem, sed aliunde contingit illa carere ». Brevius superius Sect. 2. dixerat excludere voluntatem peccandi perinde esse ac includere formaliter vel virtualiter propositum absolutum non peccandi.

Itaque exclusio positiva actus peccandi per attritionem non est posita in eo tantum, quod attritio ex metu gehennae concepta sit actus bonus, nulli sit malo actui coniuncta, quae est exclusio negativa, quam probavimus Thesi praeced., neque est tantum in eo posita quod desit reapse voluntas actualis peccandi; sed in eo est quod cum tali detestatione peccati repugnet voluntas peccandi ita ut, manente ea dispositione voluntatis per attritionem effecta, impossibilis sit voluntas peccandi, sed necesse sit exsistere propositum formale vel virtuale non amplius peccandi.

Quaestio non est utrum quaelibet attritio sive detestatio peccati ex metu gehennae voluntatem peccandi positive excludat; potest enim esse aliqua attritio incompleta inefficax, quae sit potius velleitas quam voluntas, idque supponi videtur a Concilio Tridentino, qui hypothetice loquitur: *si voluntatem peccandi excludat*: sed quaestio est utrum reapse detur aliqua attritio, quaecum repugnet voluntas peccandi; si enim haec datur, hanc dicimus esse sufficientem pro Sacramento. Quemadmodum ut verum sit contritionem ex amore esse iustificantem et, secundum adversarios, necessariam et sufficientem pro Sacramento, non est necesse ut contritio ex quo-



libet amore sit sufficiens, potest enim dari iuxta adversarios etiam insufficientis, ut si sit ex amore aliquo inefficaci; sed satis est quod sit aliqua contritio ex amore vere sufficiens.

Quaeritur ergo utrum ex metu gehennae, nullo adhuc intercedente formali amore Dei propter se super omnia dilecti, possit talis concipi dolor, quocum non tantum possit non esse voluntas peccati, sed quocum non possit esse voluntas peccati.

Distinximus exclusionem negativam voluntatis peccandi a positiva, tum quia per se reapse differunt; nam prior per se id dicit quod attritio est actus bonus, sed etiam fides est actus bonus, qui tamen non excludit positive voluntatem peccandi; tum quia adversarii eas distinguunt, et quidam, concessa priore exclusione, negant secundam. Nihilominus nihil impedit quominus quaedam, quae attulimus ad probandam primam exclusionem, valere etiam possint ad demonstrandam alteram.

II. Concilium Tridentinum Sess. XIV. cp. 4. « contritionem imperfectam, quae Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae, declarat... donum Dei esse etc. » Itaque Concilium supponit posse aliquam attritionem ex metu gehennae conceptam excludere peccandi voluntatem. Potest ergo attritio ex metu gehennae esse talis, secundum Tridentinos Patres, ut excludat voluntatem peccandi. Iam vero haec exclusio voluntatis peccandi non alteri causae coniunctae cum attritione, sed ipsi attritioni adseritur a Tridentino; non enim dicitur: *si excludatur voluntas peccandi*, sed *si excludat* (nempe attritio) *voluntatem peccandi*: est nempe attritio, quae hanc vim et efficaciam habere censetur excludendi peccandi voluntatem. Et sane nequit intelligi haec exclusio in attritione procedere a caritate, ut adversarii volunt; posuit enim Concilium attritionem esse sine caritate, eam enim imperfectam contritionem distinguit ab alia, cuius hic est unicus character proprius quod sit perfecta caritate. Docent ergo Tridentini Patres attritionem ex metu gehennae concipi talem posse, quae voluntatem peccandi excludat.

Id ipsa actus natura docet. Etenim cum timore poenae potest esse coniuncta voluntas eademque absoluta vitandi poenam peccatis debitam, et proinde adesse potest odium peccati sive offensae Dei, quatenus est inductiva huius poenae. Porro haec voluntas potest esse efficax, h. e. gignere voluntatem vitandi peccatum causam poenae; intentio enim finis potest determinare electionem mediorum. Medium autem eligendum est fuga cuiuscumque peccati sive exterioris sive interioris tantum, affectus idcirco ad peccatum et voluntas condi-

tionata peccandi; quae quidem omnia sunt in nostra potestate. Ergo voluntas vitandi poenam potest gignere voluntatem *absolutam* vitandi peccatum. Atqui si adest ea intentio efficax finis, nequit simul esse voluntas peccandi, haecque cum ea positive repugnat. Nisi ergo neges posse esse in voluntate intentionem finis, quae sit efficax quoad electionem mediorum, non poteris tam evidentem veritatem negare. Neque enim, ut quidam imaginantur, voluntas efficaciter determinans electionem mediorum ea accipi debet, quae ducit hominem reapse ad finem; nam si ita est, neque caritas dicitur efficax, cum plures caritatem modo habentes, tandem non salventur; quia nempe caritatem amittunt. Scilicet voluntas efficax ea est, quae dum est et perseverat, determinat electionem mediorum; potest tamen ea desinere: sed aliud prorsus est voluntatem esse efficacem, aliud esse inamissibilem. Ut ergo attritio ex metu excludat voluntatem peccandi satis est ut, dum ea est et perseverat, sit impossibilis simul cum ea voluntas peccandi.

III. Nec adversariorum argumenta aliquid efficiunt. Plura opus non est efferre; si enim teneantur quae demonstravimus, aliqua nullo negotio dissolventur. Proferamus potiora. a) Nequit esse efficacior timor ad excludendam voluntatem peccandi, quam sit spes; atqui nullus actus spei potest excludere voluntatem peccandi; nam spes non excludit quodvis peccatum, sed tantum sibi opposita, et potest stare simul cum quovis alio peccato, voluntas ergo aliorum peccatorum manere potest; atqui, si spes excludere posset positive voluntatem peccandi, non posset ea esse in peccatore, quod merito censetur error a Francisco Suarez.

Respondemus inepte duas quaestiones prorsus distinctas confundi. Non est quaestio utrum timor poenae, atque spes boni existentes in animo formaliter excludant peccatum; sed utrum ex timore poenae vel desiderio boni determinari possit talis detestatio peccati, quae excludat voluntatem peccandi. Hoc nos affirmamus; idcirco transmissio quod in ante. dicitur, neg. conseq.

b) Non potest excludi voluntas peccati nisi per amorem boni seu iustitiae, odium enim mali non oritur nisi ex amore oppositi boni; donec ergo non est amor iustitiae, non erit odium peccati quod illi adversatur: non existente autem odio peccati, nondum contritio erit, quae est detestatio peccati, neque erit exclusa positive voluntas peccati. Porro in sola attritione ex metu, non est amor iustitiae, qui est caritas.

Falsum est non esse in attritione amorem iustitiae, quamvis hic non sit ratio formalis attritionis illius, quae ex metu concipitur, quae duo perperam confunduntur semper ab adversariis. Attritus enim



vere odit peccatum, vere non vult amplius peccare, vere vult servare legem Dei, id porro est velle et amare iustitiam.

Falsum rursus est omnem amorem iustitiae esse caritatem, illam nempe de qua adversarii loquuntur, h. e. virtutem theologiam; quamvis lato sensu possit ille amor dici caritas, sicut caritas dicitur ab Augustino omnis bona voluntas. Amor enim iustitiae est amor boni honesti, amor vero huiusmodi est actus cuiuscumque virtutis; neque enim sola caritas est virtus, ut Iansenius arbitratur.

c) Tunc excluditur voluntas peccati, cum attritus ita est animo comparatus ut etiamsi impunitus futurus esset tum apud homines tum apud Deum, nollet peccare: at qui timore poenae tantum detestatur peccatum, non est ita animo comparatus: ergo.

Respondeo. Iuxta superius dicta cum explicaretur notio attritionis, attritus ex ordinato timore ita debet esse animo comparatus ut non habeat hunc actum, *si possem impune*, sive, *si infernus non esset, peccarem*. Id tantum postulari potest. Sicut enim reus non est homo propter peccata hypothetica, quae nempe *faceret*, sed propter realia, quae *facit*: ita non est opus verum esse quod hic homo in nulla hypothesi vellet peccare (ad quod quidem etiam amor Dei in multis non sufficeret) sed opus est ut nunc neque explicite neque implicite h. e. in aliquo alio actu, habeatur haec voluntas conditionata si possem impune, vellem peccare. Et adverte quod dico: *vellem peccare*, non tantum *peccarem*; nam hic terminus simpliciter adhibitus in ea propositione posset tantum significare iudicium mentis de re futura propter mutabilitatem animi, quin ullus affectus praesens ad peccatum significetur, qui tamen in ea propositione significandus est, quae exprimit actum malum, cuiusmodi est haec: si possem impune, peccarem, h. e. vellem peccare. Atqui solus timor vel poenae sensus satis est ad excludendum eum actum. Est enim et ille actus peccatum, quo poena ut summum malum timetur, amorque nostri praeponitur amori Dei. Quare (ut dicamus cum Faure in Enchirid. nota ultima) si timor est efficax, determinat attritum ad universale odium omnis peccati et universale propositum ea in posterum vitandi. Porro si hoc odium et propositum universalis sunt, ex parte obiecti extenduntur contra peccatum quodvis, ideoque et contra peccatum situm in hac voluntate conditionata: *Peccarem, si impune possem*: quippe quae voluntas et ipsa est peccatum. Attritus proinde ita dispositus est, non quidem immediate ac proxime ratione metus ignis aeterni, sed ratione odii et propositi universalis ex eo metu progerminantium, *ut non vellet facere, etiamsi omni modo impunitus excederet*. Dices: ergo actus se extendit ad aliquod obiectum ultra suum motivum. Respondeo non se extendere ultra suum mo-

tivum saltem reflexe spectatum; ideo enim concipitur odium cuiuscumque peccati et excluditur voluntas peccandi, etsi liceret impune, quia quodvis peccatum et haec voluntas, quae peccatum foret, meretur poenam et ut talis apprehenditur, et ita subest illi obiecto formali.

d) Qui detestatur peccatum ex metu, detestatur magis poenam quam culpam, et ideo non detestatur peccatum super omnia: nondum proinde exclusa est positive omnis voluntas peccati.

Respondeo. In actu attritionis detestatio poenae maior est detestatione culpae, non quatenus appetitive praefertur malum poenae malo culpae, sed quatenus poena est ratio (subordinata tamen per se altiori rationi), quae heic et nunc me movet ut odio habeam culpam. Quod quidem motivum honestum est (cf. Suarez D. V. S. 2. Lugum D. V. S. 9). Nulla vero 1) in hoc actu est inordinatio: nam non tenetur quis semper elicere actus perfectiores aut operari ex perfectiore motivo: et sicut potest ordinare homo actum amoris, cultus, orationis, ad finem vitandae poenae, vel consequendi boni etiam temporalis, dummodo in his finis ultimus non ponatur (dixi ordinare actum amoris etc. quod prorsus aliud est ac ordinare ipsum Deum, quamvis adversarii videantur putare tantumdem esse): ita potest homo detestari peccatum sub hac ratione, quia est inductivum poenae, absque ulla inordinatione.

2) Huiusmodi autem detestatio ex metu est ne detestatio peccati super omnia? Si inter haec omnia comprehendas etiam poenas alterius vitae aeternae, concedimus non esse actu detestationem super omnia detestabilia; est tamen talis in praeparatione animi, ut diximus. Est vero detestatio peccati super omnia mala, *quae concurrere possunt cum peccato*, ita ut velit homo potius quaecumque mala subire vel pati iacturam cuiuscumque boni, quibus removeri possit a servitio Dei, quam peccare.

3) Haec porro detestatio, quod advertendum est, satis est ad excludendam positivam voluntatem peccandi. Satis est enim pro hoc effectu ut peccatum odio habeatur plusquam quodvis aliud malum, cuius timor posset allicere hominem ad peccatum; sic enim fiet ut nunquam velit homo peccare donec manet in hac dispositione. Iam vero peccatum ut inductivum poenae aeternae est maius malum quocumque alio, quo induci posset homo ad peccatum; poena enim aeterna non est tale malum: nam non solum historice nunquam dabitur haec optio: aut poenam aeternam subeas, aut pecces, sed praeterea ea est absurda et impossibilis; repugnat enim ut Deus, qui ceteroqui solus poenam inferni infligere potest, hanc optionem proponat. Itaque qui peccatum detestatur ut inductivum poenae inferni,



non vult in ulla occasione homini possibili peccatum admittere: exclusa est ergo voluntas peccati. Quare tanquam optimi poenitentes habentur, qui hoc propositum faciunt, *volo potius mori, quam peccare*. Idcirco erit quidem consequens, detestationem peccati ex metu gehennae non esse perfectissimam; at non erit consequens ea non excludi voluntatem peccandi, quod ex Tridentino sufficit.

Adverte tandem vitium omnis argumentationis adversariorum. Cum hi putent se probasse timorem solum non excludere voluntatem peccati, inferunt immediate: ergo est necessaria caritas. At etiam dato antecedente, negatur consequentia: nam posset ea voluntas excludi ex motivo alterius virtutis e. g. iustitiae, religionis, obedientiae, gratitudinis, quae sunt distinctae a caritate.

### THESIS XXIX.

*Ad Augustini testimonia, quae post Iansenium adversarii in medium proferunt contra doctrinam superius traditam, respondemus 1) ea intellecta in eo sensu, quo contra nos proferuntur ab adversariis, non posse ab iisdem acceptari, nisi iidem subscribere velint propositionibus iam ab Apostolica Sede damnatis: 2) ea testimonia reapse non improbare nisi timorem eum, quem nos dicimus serviliter servilem, idque unum postulare ad bonitatem timoris atque ad excludendam voluntatem peccati ut amor sit iustitiae, h. e. non tantum poena sed et ipsum peccatum odio habeatur, quod in timore simpliciter serviliter habet locum. Neque alia prorsus est doctrina s. Thomae in II.<sup>a</sup> II.<sup>ae</sup> q. XIX.*

I. Hae sunt sententiae, quae ex Augustino ab adversariis proferuntur. Ex Serm. 25 in Psalm. CXVIII. «Timor iste, quo non amatur iustitia, sed timetur poena, servilis est, et ideo non crucifigit carnem. *Vivit enim peccandi voluntas, quae tunc apparet in opere, quando speratur impunitas*». Serm. II in eundem Psalmum. «Qui timore poenae, non amore iustitiae, opus legis facit, *profecto invitatus facit*». In Exposit. Epist. ad Galat. n. 43: «Hominem si propterea occidat aliquis ne et ipse occidatur, non implet praeceptum iustitiae, sed si ideo non occidat, *quia iniustum est, etiamsi facere possit impune non solum apud homines sed etiam apud Deum*». Epist. CXLIII. «Inaniter putat victorem se esse peccati, qui poenae timore non peccat; quia etsi non impleatur foris negotium malae cupiditatis, *ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Inimicus iustitiae est, qui poenae timore non peccat*: amicus autem erit, si eius amore

non peccet... Nam qui gehennas metuit, *non peccare metuit, sed ardere*. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit». De Natura et Grat. c. 57: «Sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore iustitiae, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber *nec alienus a voluntate peccandi*. In ipsa enim voluntate *reus est*, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut libere faciat quod occulte desiderat». Serm. CLXIX al. 15. De verbis Apostoli c. 6. «*Qui timore poenae non concupiscit, puto quia concupiscit*». Serm. CLXXVIII al. 19 de iisdem c. 9. «Quid est magnum timere malum? magnum est non facere malum, magnum est amare bonum... Deus cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quaerit invadere, quaerit iugulare, quaerit devorare. Vigilant pastores... non aufert, non occidit... Numquid quia ovem non tulit, lupus venit et ovis redit?... Lupus venit fremens, lupus redit tremens: *lupus est tamen et fremens et tremens*». In Psalm. LXXVII. v. 10. «*Ex corde nullo modo fieri potest, quod formidine fit poenae, non dilectione iustitiae*». Ad Bonifacium L. II. c. 9. «Quando timore poenae, non amore iustitiae fit bonum, nondum bene fit, nec fit in corde, quod fieri videtur in opere, *quando mallet homo non facere, si posset impune*». Serm. VII De Tempore (qui tamen probabiliter non Augustini est sed Caesarii Arelatensis) n. 2. «Poenitentiam certam non facit nisi *odium peccati et amor Dei*». Enchir. c. 121. «Quod fit vel timore poenae vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam caritatem quam diffundit Spiritus S. in cordibus nostris, *nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur*».

Haec vero testimonia eum in finem proferuntur ut propugnetur id, quod prima specie docere videntur, nempe actum ex timore esse coactum sive invitum, cohibere quidem timorem a peccatis externis, non vero ab internis, manere cum timore voluntatem peccandi, hanc non excludi nisi ab amore iustitiae, atque hunc amorem esse veram caritatem sive amorem Dei. Le Drou op. cit. Diss. II. cc. 2. seqq. Castoriensis op. cit. L. I. c. 8. Merbesius Diss. III. De Poenit. qq. 7. seq. Iueninus Diss. VI. De Poenit. q. 4. Lupus Diss. cit. c. 12: post Iansenium De Gratia Christi L. V. cc. 27. 28. ex quo fere omnia Augustini testimonia ceteri descripserunt.

II. Iam vero si hic est sensus horum et similium testimoniorum Augustini, evidens est ea exhibere doctrinam prorsus adversam doctrinae catholicae. Haec est enim propositio 61.<sup>a</sup> Quesnelli damnata a Clemente XI. Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore iustitiae non ducitur: et 62.<sup>a</sup> Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde